



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXI. Domine, in uirtute tua lætabitur rex, & super salutare, &c. Carm.
gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Ne scindat uncis uultus artus unguibus:
 Nos humiles fauor æthereus penitusq̄ iacētes
 Tollet, suoq̄ sustinebit numine.
 Tu seruator opem fer: tu si respicis, arma
 Nec socia cupimus, nec timemus hostica.
 Respiciet, populiq̄ sui Rex optimus omni
 Vocatus hora facilis audiet preces.

PSAL. XXI. Domine, in uirtute tua læ-
 tabitur rex, & super salutare, &c.

Carm. gen. 3.

Q Vòd hoste uicto rex triumphat gaudio,
 Curis solutus anxijis,
 Tibi id fatetur, rex beate cælitum,
 Debere. tu laboribus
 Vires ferendis, tu dedisti è prælio
 Redire duro sospitem.
 Nullam repulsam, uoce quum te supplicè
 Rogaret, unquam adhuc tult.
 Nil in latebris pectoris reconditis
 Spe concupiuit irrita.
 Et uota supra & ante uota hunc omnibus
 Vitæ beasti commodis.
 Gemmis coronam ferre & auro splendidam
 Sacro dedisti uertici.
 Vitam poposcit: mortis illi est addita
 Immunis immortalitas.
 Tu claritatis auctor illi es, inclita
 Per te refulget gloria.
 Felicitatis ei fauor dedit tuus

C

Exemplar ut sit posteris:

Mensura uoti ut matribus sit, quum bene
Blandis precantur liberis.

Tu nempe spes & anchora es fiduciae,
Tu portus in rebus malis.

Te fretus uno firmus omnem perferet
Sortis procellam turbidae.

Tu perduelles comprehendes. tu manu
Poenas reposees uindice.

Ceu flamma clausis aestuans fornacibus
Antiqua siluae brachia

Vorat, furoris sic tui nefarios
Afflatus hostes hauriet.

A stirpe totam demetes propaginem
Semenq; gentis impiae.

Te nanq; contra moliantur abditam
Fraudem scelusq; perfidi:

Et mente praua uota uersant irrita,
Et spes inanes concoquunt.

Te persequente pallidi in fugam ruent,
Inhonesto tergo uulnera

Ferent: in ora, fata dum uitant fuga,
Rursus sagittas diriges.

O qui potenti fræna rerum dextera
Versas perennis arbiter,

Exurge, uires factuas ut hostium
Agnoscat insolentia:

Tum te piorum turba festis cantibus
Orbis parentem concinet,

Votis tuorum supplicum placabilem,
Malisq; formidabilem.